# INSCRIPTIO SEPULCRALIS
# VIRI
*GENEROSI AC MAGNIFICI*
# DN. JOHANIS AUSTENII,
ILLUSTRIS BURGGRABII REGII,
CONSULTISSIMI PRO-CONSULIS
THORUNIENSIS,
&
de patria sua Republica undiqvaqve meritissimi
*Sed heu!*
Die XV. Februarii post I. pomeridianam oculis
mortalium, non animis, erepti
&
Exeqviis Solennibus sepulchro avito
cum lacrymis suorum & omnium
die 22. ejusd. mens. illati,
pio affectu in lenimen
*Præclare de Patria meritæ*
**AUSTENIANÆ FAMILIÆ**
delineata
*à*
Georgio Francisco de Goltz / Eqv. Pol.
& Neomarch. p. t. Gymn. Thor. Alumno.

---

*THORUNII,*
*excudebat Johann. Balthas. Breßler. Gymn. Typogr.*

AN loqvar? an Sileam?
O tragica obitus acerbi Enunciatio!
O luctus *Auſtenianæ domus*! pro dolor! o Vulnus!
O novercantis fortunæ Calamitas!
Qvid illa invida ſemper rerum humanarum ac infelicitatis fortuna!
Grande nimirum candidarum Naidum ſolatium!
Acerbiſſima hodierno die dolendi exiſtit materia!
Longi & ad nepotes tranſituri luctus inſanabilis plaga!
Qvid morte tua efficis? continuum dolorem? inexpugnabiles gemitus, planctus & animos mœrore attonitos.
Ite, ite nunc, funeſtatæ lamentabili comploratione!
Irrigate oculos veſtros luctuum ac calamitatum non rivulis, ſed rivis.
Nectite mentes veſtras triſtitiæ lauro,
Fœdata eſt ſqvalore lugubri *Auſteniano*-Preuſſia Proſapia.
Feſtivi, qvi parabantur ignes Burggrabialibus tuis honoribus, in ferales Libitinæ tædas jam, jam abivere.
Hoc luctu funeſtius excogitari nil qvidqvam poteſt.
Jacet nunc Civium Voluptas, nobiliſſimæ domus ſolatium, Egenorum pupilla, Reipublicæ Thorunenſis Columna,
Oculus Orphanorum, humaniorum omnium affectuum Cynoſura ac comitas.
Plus dico,
*Sereniſſimi Regis Poloniarum* JOHANNIS III.
**Burggrabius Regius.**

Nun-

Nunqvam ſine dolore ex animo raditur,
qvod profunde amor inaravit.
Habuimus in nomine edecumati *Auſtenii* nomen edecumatum,
optimum gloriarum compendium, virtutumqve choragium,
Mecœnatem.
Caſtorem & Pollucem in Urbe.
Habuimus Auguſtum Auguſti Numinis Cultorem.
Sed en! anguſta morte coarctatum, qvia Auguſtiſſimo DEo ſerviit.
Ipſi
Serenus erat clementiæ vultus,
mite benignitate ſupercilium.
pectus candore ac animi propenſione in qvemlibet apertum,
nive candidius.,
Bene ille vixit, qvi imagine candoris ſui omnia vicit.
Virtutis ac ſapientiæ confinium, ſed non finis gloriæ poſteræ.
Eras majoribus aptus, ſed contentus hujus civitatis
& publicis & privatis honoribus.
Poſthuma gloria tua perennis florebit ipſa hyeme.
In Judicio plus qvam Juris Conſultus eras,
In votis ferendis ingenioſior, plus qvam alius,
In adverſis perferendis injuriisqve condonandis Viro major,
Perſonarum perpetuus Amicus, benevolus benignusqve,
Vitiorum inexorabilis Inimicus.
Virtutum æqviſſimus æſtimator, afflictorum Defenſor,
omnium Pater.
Severitatem exercendo, non diminuiſti amorem.
In publica libertate tuenda plus qvam Amicus, æqve ac Damon.
In clientes pupilla, ac oppreſſos plus qvam Nili fluvius.
In tota reliqva vita plus qvam Theologus.
Ecce nunc ex numero pythagorico & perfecto in Incluta
Thorunenſium curia unitas deſideratur, qva deleta plures numeri
addi non poſſunt, niſi per potentiam divinam.
Famam is habuit, verum & meruit.

Notate

Notate oraculorum Sibyllæ Interpretes in Diario
hanc Epigraphen:
JOANNEM AUSTEINIUM
probitate, eruditione, juſtitiâ, ſibi conſilio & auxilio,
Semper bonum ſupra ſuorum vota,
Semper felicem ac auſpicatum ſupra Civium expectationem,
Pium ſine fuco & faſtidii in munere neſcium.
Qvi omnium meruit favorem, nullius invidiam, niſi mortis,
nobis præiviſſe, nunqvam è memoria omnium abiviſſe,
Nulla unqvam loci intercapedo hujus famæ memoriam
obliterabit, ſed ad ravim usque deprædicabitur.
Tanta VIRUM ILLUSTREM.
in rebus ſuſcipiendis Prudentia,
in exſeqvendis felicitas,
indubitatè comitabatur!
Sed heu! nunc Sol Urbis hujus reperitur in tenebris,
Nunc ſolatium virtutum ſuperſtitum ſepulchrali
includitur buſto.
Tu vero, fama cave, Livor ſile, Poſteritas mirare
Proconſulis Thorunienſis dicta, facta.
Ego magnos Manes veneratus, ſimilesqve hujus
Urbis Directores ex voto precatus,
gemebundus abeo.

